



Dilecto Filio
Stanislao Skutans
Moderatori Generali Clericorum Regularium Marianorum
sub titulo Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis

Joannes P. XXIII

Dilecte Fili,
salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cum quinque impleantur decennia, ex quo religiosa familia, cui tu, Dilecte Fili, praees, restincta revixit, prorsus consentaneum caritati Dnostrae, qua te sodalesque tuos prosequimur, esse ducimus faustam huiusmodi anniversariam restorationis memoriam, quam piis celebrabis laetitiis, effusis votis et gratulationibus Dnostris incundiorum spiritualique fructu reddere cumulatorem.

Annales religiosae istius Congregationis replicantibus duo



obviam se offerunt conspicui imperitura laude viri, forti erecto-
que animo praediti, alacri fidei studio et actusosa sapientia
exornati, quorum alteri debetur Instituto vestri auspiciatus ortus,
alteri post delectionem et ruinas reparatio perfectior: videlicet Sta-
nislaus Zaperynski et Georgius Matulewicz-Matulaitis. Utrique
pro singulari meritorum magnitudine praecipuo nunc recolendi
sunt obsequio ut, ad ipsos mentis convertentes obtutum, eorum ni-
tentia virtutis exempla sectantes, ad celsiora usque appetenda
incitamentum excipiatis, atque inter ardua et angusta, quibus
nunc temporis premimini, firmam propositorum constantiam
assequamini.

Novimus, quanta sodales vestri per iniuriam perpassi sint
et perpetuantur in regionibus, ubi Ecclesia vexatur et eius concu-
cata sunt iura et prostrata libertas. Quin etiam in nonnullis
terris omnia coenobia vestra sunt clausa, et illi qui ea inco-
lebant non ob facinorosa, sed ob virtutes poenis affecti, in exsi-

lium eiceti. Sunt et nonnulli qui catholicam fidem imperter-
rito pectore professi in vinculis animas efflarunt.

Crucis Christi participes, eius quoque experiemini gloriam,
quæ vincendo malum bono, hostilis configatur iniquitas et beni-
gnior operæ hauritur fecunditas. Hæc, felici omine, oblata
occasione, magnopere optamus et cupimus, dum a Deo vobis et
navitatibus vestris auxilium oramus opportunum et maiorem in
virtute profectum.

Quæ quidem ut vobis abunde præsto sint, Beatissima
Virgo Maria, a qua nomen sumitis, regio sit via, quæ tuto
et expedito gressu ad Divinum Servatorem et ad eius regnum
et lucem acceditur: studeamus... ad ipsum per eam ascendere,
qui per ipsam ad nos descendit; per eam venire in gratiam
ipsius qui per eam in nostram miseriam venit (S. Bernardus
Abbas, Sermo de adventu II, V). Magis magisque igitur estote
Deiparæ Mariæ Virginis cultores eiusque regni, in quo vera

floret pax et laetitia, strenuissimi et alacres propagatores.

Quod ut feliciter contingat, tibi, Dilecte Fili, et sodalibus
tuis itemque universis inceptis, ad quae vires vestras confertis,
Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus. ☩

Datum Roma, apud Sanctum Petrum, die XXIII mensis
Novembris, anno MCMLIX, Pontificatus Nostri secundo.

Joannes XXVII

J. P.